

lazen hengen an desen offin bryff, der gegeben ist noch Cristi gebort virzceenhundirt iar vnde in dem virzcenden iare an senthe Thomas abende des heiligen zcwelfboten.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen. Das an erster Stelle befestigt gewesene Probsteisiegel ist abhanden gekommen.

No. 194. 1416. 13. Mai.

*Der Stellvertreter und Commissar des B. Nicolaus von Merseburg bestätigt die nach Ableben des Probst Nicolaus ordnungsgemäss vollzogene Wahl des Chorherrn Peter von Radeberg zum Probst von S. Thomas.*

Andreas vicarius in spiritualibus reverendi in Christo patris ac domini domini Nicolai episcopi Merseburgensis et officialis eiusdem commissarius ad infra scripta ad universorum et praecipue quorum interest notitiam deduci volumus per praesentes, quod vacante nuper monasterio sancti Thomae apostoli canonicorum regularium in Lipczk Merseburgensis diocesis per obitum felicis recordationis domini Nicolai olim praepositi dicti monasterii canonici dicti monasterii, ad quos spectabat et spectat ipsius praepositi electio, ad tractandum de futuri praepositi electione in capitulo convenerunt. Quibus omnibus et singulis, qui electioni per eos faciendae voluerunt potuerunt et debuerunt interesse, placuit per formam scrutinii dicto viduato monasterio de persona idonea providere, duas personas idoneas dicti monasterii conventuales in scrutatores concorditer et unanimiter elegerunt, videlicet dominum Johannem de Osmünde priorem et dominum Johannem Dobirtow, dantes eisdem plenam et liberam potestatem, ut secrete et sigillatim vota omnium et singulorum ipsorum, primo tamen vota sua et postea aliorum, exquirerent diligenter et eis in scriptis redactis mox ipsa in communi publicarent et publicari facerent. Quibus quidem votis omnium et singulorum in scriptis redactis per notarium publicum huiusmodi vota mox et in communi publicarunt et publicari fecerunt. Quibus etiam sic publicatis fuit repertum, ipsos canonicos omnes et singulos in honorabilem virum dominum Petrum de Radeberg dicti monasterii conventualem in presbyteratus ordine et legitima aetate constitutum, expresse professum, providum et discretum, morum, vita et litterarum scientia merito commendandum, de legitimo etiam matrimonio procreatum, in spiritualibus et temporalibus plurimum circumspectum unanimiter et concorditer nullo penitus reclamante neque contradicente vota sua direxisse atque ipsum in suum et dicti monasterii sancti Thomae apostoli praepositum et pastorem elegisse, prout ex ipsius electionis decreto nobis per eosdem canonicos praesentato constabat et constat evidenter. Dictam vero electionem sic ut praemittitur canonice celebratam et publicatam in communi omnes et singuli canonici dicti monasterii receperunt et approbarunt, Te deum laudamus cum cordis iubilo decantando, dictus quoque electus huiusmodi electionem de se factam onusque sibi impositum invocato divinae pietatis auxilio ut prodesse valeret suscipiens et acceptans consentiendo. Tandem praefati canonici una cum praedicto electo nobis humiliter supplicarunt, quatenus praefatam electionem de persona dicti domini Petri ut praemittitur factam approbare auctorizare et confirmare auctoritate